



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Sicilia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66514)

cultas non esset suppeditandi singulis, docti sive elegantes cruces è lignis componere, collocare in cubiculis, colere mane, atque vespere. quod tanta probatione fecerunt, vt certo die mensis, quo Christi corpus de more oppidorum circumfertur. eas ipsi manu gestarint, dum prosequerentur: laudandum pietatis indicium. ex quo incitantur ad progrediendum modestius, & ad cruces elegantiores, non sine religionis decore, atque vtilitate concinnandas.

# P R O V I N C I A

## S I C I L I A .



**E N T E N I** circiter Messane, atque Panormi; hic domus Professorum cū nouitijs habuit capita septem, & sexaginta, Collegium quatuor, & triginta. Messanę verò par domui, Collegium. collegio Nouitiatus. Catana triginta numeravit. Syracuse tres, & viginti. Calataiero septendecim. totidem Drepanum. Bionna sexdecim. Minium quatuordecim. Rhegium duodecim. totidem Mons Regalis Residencia. Calataneensis quatuor; Ex quo numeravit hic annus socios omnino trecentos quinquaginta tres, eripuit quindecim, adscripsit vnum, & qua-

quadraginta, addidit bina Collegia ad quatuordecim domicilia quibus Prouincia Sicula continetur, alterum Marsale, quod propediem inchoabitur, alterum Melita voluntate, atque opera Clementis Pontificis eoque missi sunt tres e nostris.

### Qui obierunt, & qui in societatem adscripti sunt.

**P**Anormi in domo professa decessit P. Ioan. Baptista Rugerius imitandus ob equitatem animi, qua nullo discrimine audiebat cuiuscunque conditionis, atque fortunæ confitentes. E sodalitia opificum octo societatem ingressi, quorum vnum ostendit se elegisse viam consiliorum, cum percutienti grauius maxillam vnā, porrexit aliam.

In Collegio autem Congregatio B. Virginis quatuor societati dedit, migravit è vitæ incommodis Ioānes Baptista Tuballinus insignis ob naturæ dona, insignior ob virtutes animi; is totū septenniū oppugnatus acerbissima paralyssi propter neruorum dissolutionem omni motu priuatus reliquit inuictæ patientiæ documentum; neque prouocatus à superioribus adduci potuit, vt aliquid vnquam ad suam voluntatem peteret: in doloribus acerrimis nunquam dedit signū doloris, quin Spiritus sancti munere tantam lætitiā

titiam

titiam animi, vultus hilaritate præferbat, ut  
intuentes in eum, viderent faciem eius: tanquã  
faciem Angeli, nec quiquam ad eum accede-  
ret animo ita afflicto, atque perturbato, quin pa-  
catus erectusque discederet. In Collegio Messa-  
nensi ex maiori Congregatione studentium ad-  
scripti in societatem quatuor, tres è minori. mi-  
gravit in cœlum uti speramus. P. Antonius  
Sardus senex innato candore animi, atque sim-  
plicitate dilectus Deo. & hominibus: Illustris  
erat toto Regno ob insignem peritiam, & quen-  
dam quasi principatum artis medicæ. audiuit à  
Christo Veni post me faciam te fieri medicum  
animorum, quam vocẽ ita generosẽ complexus  
est, ut non modo se suaque animum, corpus, ser-  
uos, fortunas omnes, sed vniuersam propè fa-  
miliam Deo deuouerit. Filiam, & vxorem ca-  
ram in primis adduxit, ut cuperent, & ample-  
cterentur Monasterium sacrarum mulierum suo  
magno ære, maiore labore exedificatum, ipse ra-  
ro exemplo societatem ingressus præmissis tri-  
bus liberis, adolescentibus tantæ indolis quan-  
tam illorum præclarus exitus confirmavit, &  
vno factò se multiplex holocaustũ offerret. Chri-  
sto illique nõ vno, sed pluribus animis seruiret,  
quem habiturus est æternum generis propaga-  
torem in cœlo. Calataierone P. Gaspari Satali  
Rectori per visum apparuit socius quidam no-  
ster, qui obierat priore anno. illumque monuit,  
se pararet ad mortem; quippe fore, ut intra cer-

sos menses migraret è vita. vt credas, inquit, vaticinationem eiusdem generis vaticinatione confirmatam, post dies non ita multos peribit P. Hieronimus Falconus. incidit in morbum hic P. Hieronimus, septimo die perit, tum verò nihil dubitans Rector se diligentissime comparare, aliorum se orationibus etiam per literas commendare, & præstare illa omnia, quæ ad tantum negotium conducerent, nec fuit labor inanis, nã tempore præstituto adfuit febris mortis prænu-  
 cia. hanc consequuta decimo quinto die mors est, qualem decebat eum, qui annos tres supra tri-  
 ginta in societate vixerat, & qualem se ab eo exigere illa prædictione ostenderat Deus opti-  
 mus Maximus.

### Quæ in communi fame præstita sunt à nobis.

**C**ommunis penuria, communem occasionem caritatis exercendæ præbuit; nam in hoc ipso horreo Italiæ vsque eo inopia rei frumentariæ laboratum est, vt passim necessitas corporis in periculum traheret mulierum, virginumque pudorem animas plurimorum. nostro consilio, labore, ære enisū est, vt vniuersi subleuarētur adhibita nostra opera, admota opera aliorū, idq; cum Biuonæ, in Monte Regali, & alijs serè Collegijs, tum Drepani; vbi publicum consilium no-  
 strorum

strorum

Strorum suafu collectum cum ea de re delibera-  
 ret; statuit inter cœtera vt vir è Societate pro  
 concione diuites, atque nobiles hortaretur ad ef-  
 fusam largitionem eleemosinarũ. quod Deo uer-  
 ba animante ita successit, vt aurei torques, è col-  
 lo detracti, argentea vasa aliaque eiusmodi in  
 medium collata magna pauperibus auxilia coe-  
 gerint. Messana Nouitiũ virtutem, & osten-  
 derunt, & auxerunt, dum sepius à annona o-  
 stiatim emendicanda, & in carcerem suis hume-  
 ris portanda tulerunt opem captiuis, quorũ ino-  
 pia vsque eo processerat, vt è Ferreis cancellis  
 grandi hamo vagantes, in via canes expisca-  
 rentur, ac summo plausu (argumentum summe  
 miserie) partirentur in alimentum. Congrega-  
 tio nobilium amplexa inopes est menstruis, &  
 amplioribus eleemosinis; Maior verò Congre-  
 gatio studiosorum partienda cum iisdem parte  
 proprii panis, qui viritim, & parce distribue-  
 batur, ostendit se opibus quidem inferiorem esse  
 se, pietate verò non imparem. Panormitana do-  
 mus quamquam accessu Nouitiatus aggrauata  
 non exiguo numero nouitiorum toto illo tem-  
 pore pauperes ducentos aluit; effecit vt ternis  
 domicilijs haberent separatum famis, & mor-  
 tis effugium viri, fœmine, pueri. Nostri ter ad  
 Stipem pro iis poscendam egressi vna cum Ar-  
 chiepiscopo atque Senatu, quos commodissime  
 in partem consilij, atque operis traxerunt. hos  
 conatus Deus ita fortunauit, vt inter plausus  
 pro-

pro-

probantium, admirantium, offerentium sponte qua centenos, qua quingentos aureos decretum sit de annuo reddito constituendo, cuius caput summam attingeret aureorum viginti millium. sed institutum annona laxata dissoluit; impensa tamen ad duodecim millia aureorum præter eam pecunie vim, quæ privatim donanda fuit ingenuo pudori multarum familiarum.

### Nouitiorum Constantia.

**N**ouitiorum in domo probationis constantiam Demon variis modis per eorum fortissimos hostes, nempe domesticos oppugnauit; sed continenter victus, & vinci se indignatus quædam pro palam aggressus est, qui cubabat. statim post ingressum morbo periculoso correptus vsus occasione induit p̄i modestiq; adolescentis aspectum. consolari ægrum, condolere morbi grauitatē, insinuare unicā esse illius curandi rationē, vitā laxiorem, blanditias parturum, secularia commoda, atque domestica; longum esse cursum religionis, qui terminatur iisdem quibus vita spatijs; non esse illi de meta cogitandum, qui propter virium imbecillitatem in carceribus defecerit, adolescens primo commoueri, & contra tentationem identidem inuocare I E S V nomen; vbi verò in orationis progressu, non modo pulsari aures, sed

C

etiam

etiam cor accendi facibus quibusdam furialibus animaduertit, suspicatus id quod erat, subesse Demonem, prosilit è lecto, eumq; vasculo aquæ benedictæ perfudit, qui tum se maximè demonem ostendit, cum subito diffugiens ab oculis adolescentis euauit.

Quæ nomine æleemosinæ piorum caritas societatem donauerit.

**D**ebemus gratum animum, & orationes pijs amicis, eorum morte ad Drepanitanum Collegium accesserunt aurei mille ad Monte Regalense fundus, quem octingentis aestimes. Minæi coempta vinea vicina Vrbi, atque percommoda nostris vsibus. Messanæ, quidam integra valetudine testamentum obsignauerat, quo reliquerat nobis decem millia aureorum, & capsam confectam rebus, vt fama est, maximi pretij; ad eius obitum id filijs ægerrimè ferentibus Collegium perfacile cessuri suo, qua magnitudine animi ita victi heredes, vt libentes, & vltro bis mille aureorum obtulerint, quæque probatio consecuta hoc factum est emenda illo dispendio fuerit. Supellectilem, qua auctum sacrum vestiarium est duobus millibus aureorum aestimes.